


1/2002

KALENDIS AVGVSTIS

MMII



RVMOR VARIVS



TOMVS 25

FASC. 142

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA HELVETICA, in ædibus, quibus nomen EDITIONS DU LAC est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCC

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia CHF 27.-
In ceteris Europae terris CHF 32.-
In terris trans maria sitis US\$ 30.-

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Ulrich (Udalricus) Aeschlimann, lic. phil. I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)
Estelle (Stella) Gitta
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Estelle Gitta

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

RV mittit: Christina Meier-Portner

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam: RVMOR VARIVS,
C/o EDITIONS DU LAC
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex

E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Institutum pecuniarium:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA HELVETICA, bei den EDITIONS DU LAC herausgegeben. RVMOR VARIVS est publié par la SOCIETAS LATINA HELVETICA aux EDITIONS DU LAC

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich/paraît 6 fois par an

Auflage/tirage: 300

Abonnementspreise/prix de l'abonnement (jährlich/annuel)

Schweiz/Suisse CHF 27.-
Europa/Europe CHF 32.-
Uebersee/outre-mer US\$ 30.-

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich
Des spécimens peuvent être obtenus gratuitement

Redaktionsteam/équipe rédactionnelle:
Ulrich Aeschlimann, lic. phil. I
Dr. med. W.F. Ebel (AMICVS)

Estelle Gitta
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout/graphisme et layout:
Estelle Gitta

Druck/impression: Copy Quick, Solothurn

Expédition: Christine Meier-Portner

Verlagsadresse/adresse de la maison d'édition
RVMOR VARIVS, c/o EDITIONS DU LAC,
Estelle Gitta

Ch. François-Lehmann 2, 1218 Grand-Saconnex
E-mail: e.gitta@bluewin.ch

www.aeschlicity.ch/rumor_varius

Bankverbindung/institut bancaire:

UBS, Zürich-Oerlikon

U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS, P7-642.719.0




PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Non primum accidit, ut RUMORIS VARIII libellum primum altero dimidio 'novi' anni ineunte accipiatis. Causa autem istius morae, quam — confiteor — ipse moleste fero, hoc anno clare indicari potest. Ex libello secundo anni 2001 impressionem RUMORIS VARIII novae officinae typographicae mandavimus, ex condicione pretii opportuna, quae istud typographeum nobis promiserat. Sed cum facturas libellorum II, III et IV accepissemus, valde mirati sumus, quod pretium aliquanto maius erat quam conventum. Errorem typographi suspicientes pluribus nuntiis electronicis missis ab eo explicationem, quibus de causis id factum esset, petivimus. Sed dies, hebdomades, menses praeterierunt et iste homo nobis non respondit. Libellus 5+6/2001 mense Decembri anni 2001 paratus erat ad imprimendum. Sed id fieri non potuit antequam res de ceterorum libellorum pretio explicata esset. Et ita accidit, ut libellus 5+6/2001 non ante mensem lunium anni 2002 edi posset. Speramus temporibus futuris plus fortunae nobis fore in typographeis utendis.

Sed tandem libellus 1/2002 quoque natus est! Nonum iam hoc anno argumentum, cui ultimus cuiusque anni libellus deditus est, proponimus. Quae fuerint adhuc argumenta annorum praeteritorum fortasse requiratis? Ecce eorum varietas:

- 1994 De mulierum servitute aut libertate variis aetatibus.
- 1995 De circumietorum tutela vel de natura a hominibus in periculum adducta.
- 1996 Nuntii ex mundo pelliculae
- 1997 De arte medicina.
- 1998 De arte musica.
- 1999 De alienis terris et gentibus.
- 2000 De amicitia.
- 2001 De autocinetis.



Certe curiosi nunc rogatis, quod sit huius anni argumentum, amicae amique? Statim manifestum hoc secretum faciamus! Hoc anno proponimus argumentum

De pingendi arte.

Nolite igitur cunctari multa opuscula componentes et alios legentes et nos delectare! Ut libellum 5+6/2002 prius quam annis praeteritis edere possimus — si deis et imprimis Fortunae et typographis placet! — rogamus, si fieri poterit, ut symbolas vestras usque ad Kalendas Decembres nobis mittatis. Maximas gratias agimus!

Operam dabimus, ut mora non nimia sit (nam ut nulla mora sit, promittere vix audeo). Utinam ne necesse sit nobis et vos, caros legentes, et nos ipsos consolantibus ad illud celeberrimum Ovidii poetae confugiendum fore: 'Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas'.

Valete!


Daniel Weissmann

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (III fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium:

Max. S. Müller-de Vries
Chapfstr. 394
8214 Gächlingen

secundum praemium:

Brian R. Bishop
155 Leighton Avenue
Leigh-on-Sea (Essex)
SS9 1PX Britannia

tertium praemium:

Ericus Palmén
Välikatu 4 A 1
40700 Jyväskylä
Finlande

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

C	L	A	V	A	M
L	U	N	A	R	E
A	N	D	R	I	A
V	A	R	I	E	T
A	R	I	E	T	I
M	E	A	T	I	S



MAXIMA DEBETUR MULIERI REVERENTIA (Carminis pars altera)

Carmen alternis puellarum et puerorum vocibus, cuius singulae strophae constant quattuor glyconiis et uno pherecratio.

105 Saltat Angela dorcadis
instar et sine pondere
alipes volitat, redit,
molle curriculum inchoat,
docta oberrat in orbem.

120 Dum recumbit amicula
dormiens umero artius
stat remissa femur teres,
savio innumerabili
tota pendet ocellis.

110 Nympha non mulier fluens
en choros agilem in rotam
ducit effugiens paris
cervice intrepida, salit
ad virum reciditque.



125 "Fessa sum; cape quin tuam,
suave te penes otium;
nervus atque animus sinant
hoc latens spatium viae
optime renovare".

115 Continens Venerem suam
hinc et hinc volat ambitu;
claudit umida lumina
delicata comes neans
serta basiolorum.

130 "Pupa bellula, sit meum
bracchium tibi lectulus
et cubile levissimum;
sterne lactea membra, sit
tutus hic tibi nidus".



155

Vitis ut cadit ad solum
 perticae nisi iungitur,
 palus et teneram arborem
 fulcit hastaque sustinet
 mota flamine signa,
 lychnus et rutilas faces,
 turris aera sonantia
 navitamque ratis vagans,
 accubare simul iuvat
 prorogareque lusum.

160



“Margarita ego, concha tu
 aequi amabimus invicem;
 dum tepor gremii parat
 pace somniculum nova,
 cura mittitur omnis”.

135

“Strata molle latus toris,
 brachio addita fervido,
 tam reclinis et immemor
 sis, puella, diutius,
 scita solve capillos”.

140

Qualis innumeram accipit
 frondium viridantium
 copiam ac volucrum genus
 quercus umbrifera et nivem
 ferre non timet auctam,
 vir, columna penatium,
 rupe firmior exhibens
 robur instabili situ,
 e fabrili opera trahis
 consonantia membra.

145

150

165

170

175

Per nemus Cypriae sacrum
 laeti eunt liquido aethere.
 Tinnulus salit hic latex,
 lata silva avibus canit,
 flamma corda secundat.

Spirat aura benignior
 et rudes agitat comas
 fraxini per iter silens;
 nec ferae nec anhelitu
 clivus insidiantur.

Pax ad oscula concitat,
 at repente lacusculus
 pristinus retinet pedes,
 paene praecipites ligat
 sente trames acuto.

Auster ut folium rapit
 stipem et amnis inutilem,
 nec mora, Aemilius sequax
 Lydiam gremiis habens
 abditam pius aufert.

180



Frustra acanthus et ordines
 pampinorum et harundines
 surculusque tenellulus,
 herba graminis uvidi
 iuncus et tremebundus,
 canna amica paludibus,
 lentior ferula et salix
 fronsque populea aestuans
 aemulantur et invident
 feminae leve corpus.

185

190

195

200

Virgo, nube venustior,
 nempe papilionibus
 nec non velivolis vadis,
 adiacens penitus pari
 expedita quiescis,
 usque blanditias cupis
 gratiasque tenellulas
 atque fasciculum rosae,
 pronum ad officiumque amas
 tu virum bene mundum.



Florindus di Monaco
 Italicus Capuanus

ERRATA

in RV fasci- culo	in pagina	falso impressum est	forma recta imprimi debeuit
5+6/2001	120, l. 16	praeco	praeco
	120, l. 20	littaratum	litteratum
	121, l. 10	miserrimis contemptim , peditibus	miserrimis contemptim peditibus (tollatur virgula)



Quid lingua Latina in operibus nostrae aetatis musicis valeat

Tertia pars: Igorius Strawinsky

Similiter ac Dallapiccola Christophorus Penderecki textus suos composuit, qui tamen non modo textus Latinos e libris divinis sumpsit, sed etiam carmina Polonice conscripta Latine vertenda curavit. In Dallapiccolae opere tamen manifestissimum apparet non iam in Ecclesia Catholica, sed in arte musica et per artem musicam linguam Latinam quasi vinculum hominum commune incolumem fore.

Simili modo Igorius Strawinsky lingua Latina in multis operibus, quae confecit, usus est, e quibus prominet illud, cui neque textus librorum divinorum neque textus antiquitatis Latinus materiam praebebat. Nam aliquot annos priusquam Carolus Orff Carmina sua Burana confecit, Igorius Strawinsky dramate quodam musico magnam gloriam adeptus est, quod est de Oedipode rege. Cuius dramatis verba Jean Cocteau composuit Gallica quidem lingua, quae postea Jean Daniélou, homo doctissimus linguaeque Latinae peritissimus, Latine vertit. Strawinsky enim fabulam illam et perantiquam et notissimam quasi in monumento et ponere et seponere voluit. At cum omnes huius dramatis partes sex etiam lingua vernacula oratori cuidam paucis explicandae atque omnibus, qui audientes adsunt, praebeandae sint, hoc monumentum musicum simul admovetur et removetur. Quo fit ut numquam quasi oculis clausis illam fabulam Oedipodis regis arte musica exornatam audire tibi liceat.

Interrogatus, autem, quare linguam Latinam ceteris linguis praetulisset, Igorius Strawinsky talia fere respondit:

Quam iucundum est linguam arte musica exornare talem, quae per saecula immutata sit, quae paene sacra videatur, qua ad ducti animi hominum vehementissime moveantur. Neque iuncturis neque vi verborum nimis indulgere debes. Habet etiam linguae illius species tantam vim, ut arte musica firmari necesse non sit: Itaque textus Latinus melodiarum inventori cuilibet tamquam materia vocalis est, quam secare in singula membra, redigere in syllabas, tractare quolibet modo potest. Nonne illi, qui artem musicam medio aevo colebant, textus eodem modo tractabant? Nonne etiam Ecclesia Sancta arte musica usa est eodem modo, quo caveret, ne profanaretur?¹

Item scripsit Strawinsky melodiarum inventor ille celeberrimus:

Equidem semper putavi omnibus rebus, quae ad sublimiora pertinent, lingua praecipua opus esse, quae quam longissime absit a lingua vernacula. Itaque ad hoc opus perficiendum linguam maxime idoneam Latinam elegi; nam illa lingua praebet materiam quandam etsi non mortuam, tamen lapideam factam monumento simillimam absque omnibus rebus trivialibus remotissimam².

Fortasse, cum haec legeris, putabis compositionem textus accuratorem poetae, qui sono linguae Latinae mero contentus sit, cordi non fuisse. Erras! Nam verba huius dramatis etiam si carptim lustraveris, tamen videbis ita composita esse, ut perfacile arte musica exornari potuerint. Non modo in sonis musicis, sed etiam in verbis atque syllabis et poeta et melodiarum modulator liberrime luserunt.

Quod apparet exempli gratia e Tiresiae verbis, quorum pauca hic afferro:

*Miserande,
dico,
quod me accusas, dico.
Dicam quod dixit deus;
nullum dictum celabo;
inter vos peremptor est,
apud vos peremptor est,
cum vobis, vobiscum est.*



Quae repetitiones verborum atque syllabarum persaepe in dramatibus musicis inveniuntur. Hoc tamen in dramate verba non solum ut apud Rossini atque Verdi repetuntur, sed etiam variantur. Etiam in parte ultima, ubi chorus Thebanorum tamquam exanimatus nuntiat, quae in regia acciderint, Daniélou cursum praecipitatum pulcherrime verbis talibus imitatus est, in quibus usus infinitivi historici maxime emineat::

*Mulier in vestibulo
comas lacerare.
Claustris occludere fores,
occludere, exclamare.
Et Oedipus irrumpere,
irrumpere et pulsare,*



et Oedipus pulsare, ululare.
 - Et ubi evellit claustra,
 suspensam mulierem
 omnes conspexerunt.
 Et Oedipus praeceps ruens
 illam exsolvebat, illam collocabat;
 illam exsolvere, collocare.
 Et aurea fibula
 et avulsa fibula
 oculos effodire;
 ater sanguis rigare.
 - Sanguis ater rigabat;
 ater sanguis prosiliebat.



Inde apparet verba huius dramatis ut carmen elaboratissimum inter scripta nostrae aetatis Latina aliquantum valere, quod plus Latinitatis antiquae quam Christianae redolet. Lure igitur Strawinsky poetam defendit ab omnibus, qui vana loquantur cum dicant textum *Oedipodis Regis* Latinitate mediaevali abundare. At non est difficile intellectu, quare homines putent hoc opus lingua Latina mediaevali conscriptum esse, quia illi, qui linguam Latinam arte musica exornatam audiunt, nil nisi Latinitatem mediaevalem sive Christianam audire solent. Ceterum Strawinsky ipse iam primo verbo, immo vero sono primo omnibus, qui audire atque legere sciunt, demonstrat textum *Oedipodis Regis* linguae Latinae antiquae affinem esse. Postulavit enim Strawinsky, ut aliter ac in Latinitate Christiana sive mediaevali littera "c" esset sonus [k]. Quod ut utique fieret, ubicumque iuncturae *cae-/ce-/ci-/coe-* apparent, *kae-/ke-/ki-/koe-* scripsit. Itaque opus illud incipit - mirabile, fortasse etiam horribile visu! - his verbis: "Kaedit nos pestis". Paucis verbis nunc demonstrabo, quid Strawinsky sibi voluerit: Compositio textus et compositio sonorum arte musica inter se coniunctae sunt. Textus enim Latinus melodiarum modulatori materiam ludendi ut ita dicam praebuit, item ars musica ipsa. Arte musica autem ea, quae lingua Latina lapidea facta sunt, iterum molliuntur. Elementa enim artis oratoria adhibuit Daniélou, ut sententias quasdam tamquam ludendo variaret proponeretque materiam compositor sonorum. Quo factum est ut etiam poetarum antiquorum verba velut Sophoclis, Lucretii, Senecae, Suetoni furtim insereret.

Quaerendum autem est, quomodo lingua Latina coniuncta sit cum arte musica. Primum Strawinsky lingua Latina tamquam vestimento est usus, quo sensus hominum alliceret, ut animos intentius adverterent. Deinde singula verba sectatus est, iterum atque iterum denuo composuit eorumque ordinem variavit. Tamen verba non solum materiam vocalem praebuerunt. Nam Strawinsky nimis modestus fuisse videtur, cum diceret elaborando se maxime delectari; pro certo habemus illi maxime cordi fuisse, ut opus ab omnibus partibus perfectum et perpolitum efficeret. Quo factum est, ut in verbis Latinis arte musica exornandis multi alii eadem via progressi sint qua Strawinsky, quorum nunc Christophorum Penderecki in medio ponam.

Melodiarum compositor ille Polonus harmoniam verborum atque sonorum, quae paene perierat, iterum invenit; nam lingua ut ita dicam sonorum utitur quadam, quae quamquam inaudita videtur, tamen offensionem non est. Famam autem creberrimam consecutus est opere illo, quod *Passio et Mors Domini Nostri Jesu Christi secundum Lucam* inscribitur. Fuerunt autem causae duae, quae hanc famam effecerunt: quarum prima est, quod erat illud opus religiosum quoddam a melodiarum modulatore terrae socialisticae tempore belli frigidum (sive incruenti) confectum, quod opus etiam illos maxime excitavit, qui artem musicam imprimis hodiernam pro nihilo aestimarent. Altera autem causa est, quod Penderecki seriem eorum operum, quae Passionem Domini arte musica exornatam exhibeant, opere suo dignissime continuavit.



Werner Schubert
 Heidelbergensis

(Dissertationis pars quarta in proximo libello sequetur)

¹ Cfr Igorius Strawinsky, *Erinnerungen*. Aus dem Französischen übertragen von R. Tüngel, in: I. Strawinsky, *Schriften und Gespräche* I. Mit einer Einleitung von Wolfgang Burde, Darmstadt 1983, 131 sq.

² Cfr *ibid.* 129.



Proverbia Hispanica

Luna en creciente: cuernos a Oriente; luna en menguante: cuernos adelante.

Luna crescens: cornua ad Orientem versa; luna decrescens: cornua adversa.

*

La mujer y el vidrio siempre están en peligro.

Et mulier et vitrum semper in periculis versantur.

*

Ojos que no ven, corazón que no quiebra.

Oculi, qui non vident, cor, quod non sentit.

*

Ninguno da lo que no tiene.

Nemo dat, quae non habet.

*

Todo lo nuevo aplice.

Omnia nova placent.

*

La rueda de la fortuna nunca es una.

Rota Fortunae semper statu variabilis.

*

Chica es la punta de la espina, mas quien duele no la olvida.

Acumen spinae parvum est, sed qui punctus dolet numquam eius obliviscetur.



Casa con dos puertas, mala es de guardar.

Casa duabus portis mala est custodienda.

*

A todo hay maña, sino a la muerte.

Omnes in res sollertia superest praeter mortem.

*



Cuando la rana tuviere pelo, seréis vos bueno.

Ranae si fuerit pellis, vos boni eritis.

*

El que tiene tejados de vidrio, no tire piedras al de su vecino.

Ille, cui tectum est vitreum, ne iaciat lapides in tectum vicini sui.

*

No hace el hábito al monje.

Non efficit vestis monachum.

*

Quien teme la muerte no goza la vida.

Non fruitur vita, qui mortemtimet.

*

Aunque el decidor sea loco, el escuchador sea cuerdo.

Etiamsi loquens sit vesanus, sapiens sit audiens.



In Latinum vertit Daniel Weissmann

DOCENDI RATIO QUAESTUOSA

Quidam publicus impudens magister
privatim accipit affabre docendos
impensa ipse gravi suos alumnos.
Iam complura patrare lustra constat
istum furciferum scelesti lucra;
nec furtim studet accolae latere,
nec vitare solet pericla litis:
ostentare videtur ipse culpas
admissas, quasi nil timens ab ullo
morum iudice iam severiore.
Censuram veluti adrogare quandam
permissu huic liceat sibi superno,
collegas reprehendit in pisinno
clementes methodos nimis secutos:
multos discipulos mala repulsa
is punire velit, scholae tueri
se niti decus asserens superstes.
Verum laedere saevitas recusat
sapluti subolem vafri parentis,
qui nummis avidi viri crumenam
implendam bene mente perspicaci
esse tempore comprehendit arto.
Quaestus turpiter iste comparatos
iactat, consimilis mari petenti
famam feminei pudoris amplam
victoris, quia virgines minaci
sica cedere perfido iubentur.

(metrum phalaeceum)



Orestes Carbonero


Alamanni usum fructumque e cultu Romanorum capiebant

Multa vestigia dominationis Romanae etiam hodie in ea regione Germaniae exstant, quae inter occasum solis et meridiem spectat. Primo a.Chr.n. saeculo Romani Germaniam cisrhenanam occupaverunt et longum litem a Rheno usque ad Danuvium pertinentem extruxerunt.

Constat primo p.Chr.n. saeculo in regione eius loci, cui hodie nomen 'Bad Krozingen' est, Romanos ingenia artesque fovisse. Fabri Romani officinis intendebant, ossa bestiarum, aes ferrumque diligenter laborabant. Verisimile est locum aquis praeclarum originem duxisse e vico parvo, qui legionariis Romanis frumenti copiam faciebat. Vicus ille in via militari situs erat, quae Basilia Moguntiacum ducebat. Nomen vici traditum nobis non est. Forsitan loci pars, quae hodie 'Kems' appellatur, a Romanis Cambete nominaretur. Temporibus iis, cum Alamanni, incolae regionis, litem turribus castellisque munitum debebant, regio semper imperio Romano erat. Multas res, quas Alamanni antea numquam viderant, mercatores Romani importabant.

Sexto p.Chr.n. saeculo Romani semper magnam partem agebant. Res spectabiliores in atrio thermarum vici 'Bad Krozingen' propositae id sane probant. Alamannis res importatae magno usui erant. Rem nummariam ignorabant, sed nummos Romanos perforabant eisque modo ornamentorum utebantur. Cingulus quidam nummis ornatus in atrio proponitur. In sepulcro cuiusdam feminae Alamannicae sexto. p.Chr.n. saeculo vitam agentis inventus est. Vasa pretiosa more Romanorum facta quoque in coemeterio Alamannorum inventa sunt.

Mulieres loco hoc sepultae in vita futura demonstrare videbantur se in vita terrestri laeta convivia dare potuisse. Hodie permulti homines quotannis ad aquas salubres veniunt. Ego quoque libentissime ad locum



hunc me confero non aquis sed regionis amoenitate, salubritate caeli, vinis optimis humanitateque incolarum allecta. Non magna est copia rerum, quae in atrio thermarum nominis 'Vita Classica' exponuntur, magnus autem est numerus eorum, qui visendi causa in locum illum conveniunt.

Barbara Maier

Sic transit gloria mundi



Res quidem audacior fuisset, iucundissime lector, si quis apud Romanos, Scipionibus Gracchisque viventibus, de gloria contemnenda locutus esset; nam qui gloriam nihil aliud nisi insaniam quamdam esse dixisset, non ei libenter aures praebuissent, sed eum populus ille famae ac potentiae appetens tamquam

sophisten despexisset, qui homines, impugnata cupiditatum acerrima atque honestissima, ab ipsa virtute deterreret. Nec plus aut apud Athenienses aut apud Lacedaemonios istius modi philosophus valuisset: num gloriam inane quidquam esse contendere ausus esset, quae tantam inter populos illos auctoritatem afferret, immo tam pervulgata usitataque esset, ut necessaria etiam et quasi pro officio fieret? Etenim homines quo magis virtute praestant, eo digniores sunt gloria; quo propius illam habent, eo vehementius et amant et appetunt et quam solida sit intellegunt. At vero, ubi degeneravit virtus, ubi aut ingenium aut robur animi deficit, ubi lenitate et mollitia ceteri vincuntur affectus, tum homines gloriam disiunctissimam a se videntes nec polliceri sibi neque colere audent, ac pro somnio denique ducere assuescunt. Sic paulatim eo res adducitur, ut etiam de illa loqui ridiculum sit. Quare, quemadmod-


modum a Romanis declamator irrisus esset, qui ut gloriam despicerent aut Sullam aut Pompeium esset hortatus, ita si saltem Molière crederes «nunc derideretur philosophus, qui Gallos suaderet ut, tam magnifice quam Romani cogitantes, illorum exprimerent virtutes».

Quod demonstratum est in comoedia c. t. est «Don Juan». Nempe quibus, tua sententia, oculis aut acervata ista flagitia cernere posse me censes, quorum vix malam faciem ante oculos hominum lenire cuiquam liceat, aut continuatam istam molestiarum seriem, quae nos ut regis benignitatem fatigemus saepius compellant, apud quem et meritum meorum auctoritas et amicorum gratia iam exhausta sit? O quam tu demisse sentis! Non erubescis quod genere tuo adeo videaris indignus? Num iure, dic mihi, de re ista gloriaris? aut quid tu inter homines fecisti, propter quod nobilis esses? Num satis putas nomen illud atque insignia ferre, laudique nobis esse quod honesto simus sanguine orti, si turpiter vivamus? Immo, nil genus est, ubi virtus abest. Quamobrem gloriae maiorum ita demum participes sumus, si similes illorum ipsi fieri conamur; ille autem rerum gestarum splendor, qui ab iis in nos diffundi solet, nos ad id obstringit, ut illis invicem ornamento simus vestigiisque insistamus, neve ab eorum degeneremus virtute, si ex illis vere ortos nos existimari velimus. Tu igitur nequidquam ab illis originem ducis, e quibus natus es: qui te sanguinem suum eiurant, nec tibi quidquid praeclari egerunt ullo modo suffragatur, sed splendor ille sic in te refulget, ut dedecore afficiaris, turpitudinemque tuam ante omnium oculos illorum claritudo quasi fax quaedam illustrat. Denique scias licet nobilem virum male viventem monstrum in natura esse; virtute nobilitatem imprimis commendari; me vero non magis nomen ab aliquo subscriptum quam res gestas respicere pluriusque aestimatum baiuli filium, qui vir bonus sit, quam filium regis pariter ac tu viventem.

Rettulit Stella GITTA

SOLUTIONES

ludi "Maior e longinquo reverentia" (5+6/01)



Sententia: Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Explanationes


Ad libram

- 25 Regia
- 30 Europa
- 34 Sextus
- 38 C = condemnno
- 42 Tiresias
- 46 animal
- 48 oculus
- 49 Hero
- 50 Dionysos, Dione
- 51 Narcissus
- 60 Nausicaa
- 66 Isis
- 79 Deucalion
- 86 Gigantes
- 93 Oenomaus
- 95 Elis, Elisa
- 96 Furiae

Ad perpendicularum

- 3 Nana
- 5 Luna
- 10 Hectoris Iytra
- 11 Nauplius
- 15 Cyllo
- 21 Telegonus et Telemachus
- 22 Egeria
- 67 Silenus
- 69 Niobe
- 73 A = absolvo
- 74 Nestor
- 76 Themis
- 83 Rhesus
- 87 Circe
- 89 Rumia
- 94 Iphigenia

Labyrinthicum
proverbium
inter et offam
Ludus a stella incipiendus est



Estelle GITTA

ROMULUS MAGNUS

Friderici DÜRRENMATT (1921-1990) Helvetii narratoris et comoeodigraphi ingeniosi ROMULUS MAGNUS («*Romulus der Grosse*») comoedia historica fidei historicae contraria quattuor actibus scripta, anno 1948 primum acta, annis 1958 et 1964 retractata, anno 2000 a Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversa.

Comoediae pars quarta

TULLIUS ROTUNDUS: Documenta pretiosa Romanae artis rem publicam gubernandi ne ullo modo cadant in manus Germanorum. At deest nobis pecunia ad eadem avehenda.

ZENO: Heus itaque comburitis archiva, quasi credi non possit bonos viros denique victuros esse. Profecto non servari potest vestra Roma occidentalis. Quae est funditus corrupta. Deest animus, deest vigor - vae mihi, etiam ovum calcavi! Abibo oratum.

Sandalia deterget et exit sinistrorsum.

SPURIUS TITUS MAMMA: Centum horas non dormivi. Centum horas.

Atror gallinarum gracillatio. A dextris venit coquus et abit in villam, utraque manu gallinam tenens, tertia brachio dextro inclusa, encombomate sanguine consperso.

SPURIUS TITUS MAMMA: Heus non iam patior istas gallinas in aeternum gracillantes! Sum fatigatus, perquam fatigatus. Ticino huc equitavi equis admissis, eheu, quantum sanguinis perdidit.

TULLIUS ROTUNDUS: Scio.

SPURIUS TITUS MAMMA: Septem equi.

TULLIUS ROTUNDUS: Scio.

SPURIUS TITUS MAMMA: Tres sagittae.

TULLIUS ROTUNDUS: I post villam. Ibi gracillatio est minor.

SPURIUS TITUS MAMMA: Ibi iam fui. Ibi principissa subit institu-

tionem tragicam, et iuxta stagnum Imperator Romae orientalis orans recitat psalmos.

MAVORS: Silentium!

Iterum obdormiscit.

TULLIUS ROTUNDUS: Ne tanta voce loquaris. Alioquin expergiscet marescalcus imperialis.

SPURIUS TITUS MAMMA: Sum ineffabiliter fatigatus. Etiam vexor fumo, istoc fumo, qui foetet et mordet!

TULLIUS ROTUNDUS: Saltim considas.

SPURIUS TITUS MAMMA: Si consedero, obdormiscam.

TULLIUS ROTUNDUS: Fatigatus ut es, hoc videtur cum natura maxime congruere.

SPURIUS TITUS MAMMA: Nolo dormire, volo ulcisci!

Mariscalcus surgit desperatus.

MAVORS: Vah hoc loco num possum quiete consilia concipere? Ars bellica non efficitur nisi cogitatione repentina. Ut chirurgus ita dux militaris ante sectionem sanguineam oportet animum colligat. Nihil bello alicui tam immaniter nocet quam strepitus in praetorio temere factus.

Indignatus tabulam geographicam convolvit. In ianua apparet Imperatrix.

IULIA: Aebi! Aebi! Viditne aliquis Aebium domicurium superiorem?

SPURIUS TITUS MAMMA: Ecce mater patriae.

TULLIUS ROTUNDUS: Ille nonne adiuvat te vasa colligentem?

IULIA: Aebius hodie mane e conspectu evolavit.

TULLIUS ROTUNDUS: Ergo iam aufugit.

IULIA: Ut est Germanus.

Imperatrix evanescit.

SPURIUS TITUS MAMMA: Revera fugiunt Romani!

Per momentum temporis suscensuit, iterum collabitur, sed turn, ne obdormiscat, desperate huc illuc cursitat.

MAVORS: Cunctando vincemus. Conditio militaris in horas fit

opportunior. Quae eo melior fit, quo plures fiunt clades. Quo magis Germani audebunt subire paeninsulam, eo magis venient in fundulum; quo fiet, ut nos in Sicilia et Corsica versantes eosdem facile possimus prosternere.

SPURIUS TITUS MAMMA: Primum prosternas Imperatorem!

MAVORS: Non poterimus devinci. Germanis deest classis. Itaque non poterunt aggredi nos in insulis versantes.

SPURIUS TITUS MAMMA: At nobis quoque classis deest! Quid ergo prosunt nobis insulae? Nos non possumus aggredi Germanos in Italia sedentes.

MAVORS: Ergo classem aedificemus.

SPURIUS TITUS MAMMA: Num nos aedificemus? Civitas decoxit!

TULLIUS ROTUNDUS: Haec sit cura posterior. Primum deliberemus, quomodo veniamus in Siciliam.

MAVORS: Curabo, ut mittatur nobis *tricatartum.

TULLIUS ROTUNDUS: Vin' nos uti *tricatarto? Quod nimio constat. Usus talis navigii est ingentis pretii. Fac invenias navem actuariam.

MAVORS: Eheu nunc detrusus sum etiam ad ordinem proxenetarum nautici.

Titubans init villam.

SPURIUS TITUS MAMMA: Germanus caput meum percussit.

TULLIUS ROTUNDUS: Scio.

SPURIUS TITUS MAMMA: Septem equi sub me conciderunt.

TULLIUS ROTUNDUS: Hoc narrare non desinis.

SPURIUS TITUS MAMMA: Heus perquam fatigatus sum.

TULLIUS ROTUNDUS: Equidem spero nos in Sicilia inventuros esse villam, quam conducamus pretio non nimis enormi.

Ingens gracillatio. A sinistris lente claudicat Aemilianus pannis discissis indutus, macerrimus, pallidus, cappa nigra indutus, circumspectat.

AEMILIANUS: Estne haec villa Imperatoris Campaniensis?

Administer rerum domesticarum stupefactus figuram aspicit funestam.

TULLIUS ROTUNDUS: Quis es?
 AEMILIANUS: Phantasma.
 TULLIUS ROTUNDUS: Numquid vis?
 AEMILIANUS: Imperator est pater nostri omnium, nonne?
 TULLIUS ROTUNDUS: Pater omnium patriam amantium.
 AEMILIANUS: Ego amo patriam. Veni, ut patriam viserem.
Iterum circumspectat.
 AEMILIANUS: En sordidam cohortem gallinarum. Villam inquinatam. Grapheum. Supra stagnum est figura Veneris dilapsa, hedera, muscus, ubique in malis herbis latent ova - nonnulla iam soleis meis sunt contrita - et aliquo loco certe dormit Imperator.
Considit in sella mariscalci imperialis.
 AEMILIANUS: Tun' es Tullius Rotundus administer rerum domesticarum? TULLIUS ROTUNDUS: Men' novisti?
 AEMILIANUS: Nos saepe una vinum bibimus canticaque cantavimus, saepe noctibus aestivis.
 TULLIUS ROTUNDUS: Non recordor.
 AEMILIANUS: Nimirum. Interim periit regnum mundanum.
 SPURIUS TITUS MAMMA: Sum fatigatus, sum prorsus fatigatus.
 TULLIUS ROTUNDUS: Intellego. Bello pugnasti. Pro patria sanguinem effudisti. Numquid vis?
 AEMILIANUS: Potesne aliquid facere contra Germanos?
 TULLIUS ROTUNDUS: Quod statim hodie nemo facere potest. Nos iis resistimus in tempus longum. Molae Dei molunt lente.
 AEMILIANUS: Ergo nihil potes facere pro me.
 TULLIUS ROTUNDUS: Bono animo es. Germani vincentur altiore cultu nostro civili.
 SPURIUS TITUS MAMMA: Sum fatigatissimus.

Comoediae pars quinta in proximo libello sequetur!

Subnoto RV, ut ipse accipiam
 (Ich abonniere RV für mich selber)

Subnoto RV DONO DATUM ei, cuius
 inscriptio cursualis supra indicata est
 (Ich abonniere RV als Geschenkabonne-
 ment für jemanden, dessen Adresse oben
 angegeben ist): -----

Factura subnotationis mittenda est ad inscrip-
 tionem cursualem infra indicatam (Die Abonne-
 mentsrechnung ist zu senden an):

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte
 frankieren

RVMOR VARIVS
 C/o EDITIONS DU LAC
 Estelle GITTA
 Ch. F.-Lehmann 2
 1218 Grand-Saconnex


PP/Journal

4702 Oensingen

1/2002

KALENDIS AVGVSTIS

MMII



TOMVS 25

FASC. 142